

OCEANI GERMANICI
PARS.

OCCIDENTIS

NOVA
ET CASTIGATOR COMI
TATUS HOLLANDIAE
DESCRPTIO.

Hollandia quae olim Batavia, aequa
Cathorum fides, undique fere angitur
Mari, praeterquam qua Rheno & Mosa
fluminibus ad Orientem & Meridiem
a continenti seungitur: cuius mediterranea
fluminibus riuisque fere irrigatur,
& facunda ultra quam dici possit
redduntur, adeo ut agrorum fertilitate
nulli regioni cedat.
Cum privilegio

Armamentary sine Castris
Britannici riuarii forma,
qua An. 1320. 1332. et 1362
in littore oceani non longe
ab urbe Leyda extare videri sunt.




Miliaria minor Hollandiae

1	2	3	4	5
1	2	3	4	5
1	2	3	4	5
1	2	3	4	5

Miliaria magna quingae milium 3 passuum 4
Miliaria magna quingae milium 3 passuum 4

Ad exemplar descriptionis quae
edita Roma Mich. Fr.
mesini nunc castigata.
Prostant Amstelredamum
apud Gerardum
de lode in Brsa
nova.



HOLLANDIAE COMIT.

trecentarum nauium ex omnibus Europæ partibus confluentium, ex Gallia, Anglia, Hispania, Lusitania seu Portugallia, Polonia, Liuania, Suedia, Norwegia, Islandia ac Ostlandia, ita ut sæpenumero vnà ibi videre liceat in portu ad quingentas naues ac halcades, quæ prospectum præbent planè magnificum. Ciues tam sunt opulètes, amplæq; fortunæ, ut eiusmodi classe aduecta, ipsi omnes merces tam promptè coëmant, ut quinto sextòue die ab aduentu suo expeditæ naues, rursumque mercibus alijs oneratæ quæuis remeent vnde profectæ erant. Urbis fundamenta sunt trabes lignei, locis vndosis ingeniosè admodum infixi, ut ædificia quamuis magnifica sustentare queant. Et ut dicam simul omnia, siue diuitias, siue populum, siue etiam aërem, aquam, situm, quantitatem, siue præterea aquæ-ductuum, quos canales vocant, per quos naues admittuntur, fabricas spectes, poterit hæc cum Venetijs comparari. Habet præterea hæc Regio Roterodamum ab Roterodamo canali, qui ibidem Mosæ miscetur appellatum, claram vel eò quod literarum decus Erasmus Roterodamum genuerit. Est præterea Hollandiæ pagus quem Hagum comitis, *Sgrauen-haeg* vocant, omnium quos Europa habet pulcherrimus, ditissimus, amplissimus, ac capacissimus, ad domuum duo millia continens, tam sumptuosarum, ut nulli urbium cedant, cum ibi totius propemodum regionis nobilitas, ac Regis etiam Palatium Curiaque commorentur, ab hoc loco ad semimilliarium distat Losdunen, Benedictini ordinis monasterium, vbi sepulchrum extat Comitissæ Margaretae, cuius historia relatu non indigna videtur. Hanc quondam paupercula quædam natos ex se gemellos vnus tenens, petebat eleemosynam, cui præter id quod nihil ei largiretur, insultabat, eamque conuictijs proscindebat, negans possibile esse binos pueros eodem partu edi, nisi binis etiam patribus geniti essent, proinde alterum horum adulterio natum esse: qua contumelia mota miserula hæc, orabat Deum, ut ad vindicandam castitatem pudicitiamque suam permetteret hanc Comitissam eodem partu tot infantes, quot dies annus habet, dare: idque factum esse testatur eius Epitaphium, quod sic se habet. Illustris domini Florentij, Comitissæ Hollandiæ filia, cuius mater fuit Machtildis, filia Henrici, ducis Brabantiae, fratrem quoque habuit Guilielmum Alemaniae regem. Hæc præfata Domina Margareta, Anno salutis 1276. ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Parascheues hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus numero trecentos, sexaginta quatuor: qui postquam per venerabilem Episcopum Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quadam, Baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Iohannes, femellis verò Elizabeth nomen impositum fuisset, ipsorum omnium vnà cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Traiectensis Diocesis, quamuis sit dominium ab Hollandia diuersum: tamen quandoquidem tota propemodum Hollandia circuitur (huic enim à Septentrione, Meridie & Occidente contermina est) ab Ortu autem Geldriam habet, eius hinc quoque meminisse operæpretiū visum est. Continet autem hæc Vltraiectum, ciuitatem Episcopalem, olim Antoninam dictam, ab Antonio Romano Patritio, qui fugiens Neronis tyrannidem eò confugisse, hancque condidisse fertur. Est vrbs iuxta veterem Rheni alueum, quo præteruehebatur ad mare, priusquam Lecco flu. coniungeretur, vrbs est ampla, spatiosa, præpotēs, ac sumptuosissimis ædificijs ornata, territorium oppidis pagisque plusquam excultum. Huius iurisdictioni subsunt Wick, *te duersteden* Batauodurum, Tacito rhenen, Ormes Tacito, Amersfort & Montfort. Aër

ventorum, quibus perflatur regio, beneficio etiam si humidus ac labis non nihil ex maris lacuumque vicinia contrahere possit, benignus tamen est & salutaris. Terra est submissa ac profunda admodum, ita ut omnes penè fluuij, canales ac aquæ-ductus, qui maris fluxum atque refluxum sentiunt, quo minus inundent terram, aggeribus muniendi sint. vnde frequenter hinc inde videre est (miratu dignum) flumina supra reliquam terram eminentiora. Terra ipsa penè insula est, ac aquis vndique plena, præter enim alueos quos sponte flumina custodiunt, tantum canalium, fossarum ac aquæ-ductuum, manu, ac artefactorum, cuiusuis commoditatis causa, qua vltro citroque merces coëhantur, videre est vndiquaque, ut terra vniuersa præter Insularum acruum nil esse videatur. Arborum ferè nihil videre est per campos, minus fructuum. Syluas vix habet vllas, præteream quæ prope Hagum Comitissæ conspicitur, feris vtcunque frequens. Frumenti quoque ob terræ profundum situm parum producit. Verum prope vicum cui *Sgrauen-sande* nomen est, feritur metiturque frumenti optimi plus quam vllò alio huius regionis tractu. Et cum parum producat regio frumenti, eiusdem tamen ibidem est abundantia. Vinetis quoque caret, nihilo tamen secius vini plus hinc bibitur, quam quibus nascitur locis. Linum quoque non producit, cum panni linei plures hinc quam in vlla orbis parte alia conficiantur. Lanam non habent, & pannos laneos in magno numero concinnant. Lignis caret, cum naues & aggeres quoque ligneis tum fascibus tum sudibus ingestis plures, quam quouis alius Europæ tractus exstruat. Terra verò pratis pascuisque perquam commoda, cum pecore ut plurimum viuant, cespitibusque excidendis quibus focus ignisque alatur, ingentem materiam præbet. Bobus ac vaccis abundat regio, ouibus caprisque non item. Equos gignit prægrandes ac corpulentos, bonos ac elegantes, hos cum aliquato adoleuerunt, in Frisiam educandos mittunt: ij siquidem qui ibi pascuntur alacriores, fortioresque existunt, quam qui in Hollandia, qui verò ibidem nascuntur Hollandicis multo sunt inferiores, ita ut in Hollandia natus, & in Frisia pascus equus, ferox, animosus, fortis, bonusque iudicetur. Quem verò fructum capiant è re pecuaria, palam est omnibus: cum (ut dictum est superius) pecore ut plurimum viuant, totaque propemodum Europa butyrum, caseusque huius regionis distrahantur. Piscibus autem mirum in modum abundant, ita ut piscibus etiam porcos saginent. Flumina habet præter Rheni Mosæque ostia, Lingam, Roteram, Amsteram, Gaudem, Schiam, Meruam & Barot. Terminatur autem à Septentrione & Occasu Oceano, à Meridie Mosæ flu. & Brabantia, ab Ortu partim sinu maris, quem *Zuder-zee* & mare Australe vocant, partim Geldriæ ducatu incipit ab Occidente sub principium 26. gradus longitudinis, uti in *Sgrauen-sande*, & extenditur versus Orientem vsque ad 28. gradus minut. 10. vbi Burenium oppidum est. A Meridie sumit initium ad principium 52. gradus latitudinis, vbi Dordracum oppidum est, & extenditur in Septentrionem ad 54. gradus minut. 12. vbi Medenbleick vicus est. Est itaque circa medium noni climatis per Rheni ostia sub initium 19. Paralleli, vbi diem habet prolixiorem horarum 16½. vsque post initium vigesimi Paralleli, vbi diem habet prolixiorem horarum 16½. Si ad milliaria referas eius quantitatem, reperies in longitudine hoc est, ab Occidente in Orientem milliaria Italica 47.


Germanica 11¾. in latitudine autem, id est, à Meridie in Septentrionem milliaria Italica 72. Germanica 18.

ZELANDIAE TABVLA.

XXXIII

Zelandia vnde nomen traxerit, haud equidem obscurum fuerit, vel illi qui præter eius picturam viderit nihil, quippe cum salo cingatur vndequaue. Ortum tamen eius nonnulli à Danis dederunt, quos ferunt occupatam à se Walachriam, Zelandiam appellasse, mutuato nomine ab insula quadam celebri sui, hoc est, Cymbrici maris, deinceps autem & reliqua huic circumiacentes & vicina insula eodem nomine complecti cœperunt. Verùm parum retulerit vtra harum alteri nomen suum communicarit, cum palam sit omnibus, Zelandias vocari, tanquam terras marinas, seu in mari saloue sitas. Huius autem nostræ Zelandiæ cum complures sint Insulæ, suis quæque nominibus insignitæ, easque vix possibile sit separatim describere, eò quod varijs inundationibus obnoxia vi tempestatum, cum locum, tum formam, tum ipsos sæpenumerò incolas mutant: nos eo quo commodissimè fieri poterit, ordine describemus. Quindecim itaque Insulis distincta hæc regio est, quarum subinde alia maris inundationibus & sæuitia operiuntur salo, alia ex vndis protrudentes capita paulatim eriguntur, ac accolarum labore assiduo & industria, aggeribus circumdari, habitarique incipiunt. Verùm ea, quoniam plerunque parua sunt, ac parum diu subsistunt, vix nomè merentur. Quare his omisissis præcipuas enumerabimus, quæ septem sunt, reliquis firmiores magisque cultæ, quarum si prius & vetustos & recentes colonos considerauerimus, eas deinceps diuidemus. De generis autem huius origine Olaus Gothus & alij plures eodem planè modo tradunt Cymbros fuisse: quare sic de eadem differit Leuinus Lemnius. Constas fama est atque indigenis per manus tradita, à Gothis ac Danis hanc gentem profluxisse, præsertim ab illa Insula Cymbrica, quæ in Dania Zieladæ nomine inscripta est, in qua spectatur celeberrimū Emporium Hafnia, vulgari nomine *Coopmans-hauen*, à portu negotiatoribus frequentato, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppositis erectisque aggerum molibus, in insulas redegerunt, atque extructis primùm casis, minutisque atque angustis tigurijis, sementi ac pascuis reddidère idoneum. Erat enim Cæsaris ætate, magna terræ huius pars, quæ non aliud quàm Bataviæ appendix est, inculta, nec vnquam ad serendi vsum vomere proficissa, aut fossione subacta, sed æstuarijs ac paludibus impedita. Mattiani dicti sunt antiquitus, ex vulgata alloquendi consuetudine ac cōpellatione, qua populares atque indigenæ inter se sunt vsi. *Maet* enim in eorū lingua ac populari appellatione, omnium actionum, contractuum, periculorum, ac totius voluntatis, consilij, laboris socium comitemque sonat, omniumque rerum quas inter se exercent, participem ac consortem. Atque hoc etiã eos nomine Tacitus appellat, quum inquit: Mattiacorum gens Batavis similes, nisi quòd ipsi terræ suæ solo acrius animantur. Eius populi hodie inquilini ac indigenæ robusti, statura corporis liberali, feroces, viribus, ingenio, solertia, versutijs, calliditate, fallacijs, captionibus, negotiadi peritia, ac conquirendi industria Batavis superiores, mercaturæ partim, agriculturæ partim. Maior verò pars rei nauticæ ac piscationibus dediti, qui ea sunt morum ac vitæ integritate, vt nunquam inter illos vllæ cōtentiones, iurgia, simultates, dissidia exoriantur, nec vnquam inter se lites consecantur, aut iure cum æqualibus contendant, ita vt magistratus nunquam, nisi in vrgentissimis causis se horum controuersijs interponat. In re domestica ac familiari omnia elegantia, nitida, exposita, mensa frugalis, nec vnquam prodigaliter sumptuosa. In mercatura exercenda nemo non ciuium solers atque industrius, lucrauidus, ad rem attentus, in tenuiores tamen atque inquilinos inopia pressos, liberalis ac beneficus, in cæteros hospitalis, blandus, comis, affabilis, candidus, atque ab omni simulatione ac fucata specie nulli non obuius atque expositus. Nauticæ rei his vix quisquam magis peritus. Qui piscaturæ operam dant, nullum inter suos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, si quis ex cōsociatis stipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur, quin ipsa piscatoria societas, & qui inter illos est primarius, quem Decanum vocant, singulis quibus res domi angustior est & contractior, quàm vt familiam alant, ac sustentent, ex communi ærario suum dimensum constituit: ita vt non desit quo famem frugaliter ac liberaliter solentur. Quum autem tam nu-

merosa multitudo piscatu se exercent, ac paulò longius in Oceanum progressa, victum in mari venetur: si quando parcè ac malignè piscari contingat, nullus vnquam horū se vexat aut excruciat, nec cuiquam malè precat, sed omnia placidè ac sedatè perfert, meliorum spe atque fiducia. Quo ad reliqua, ingenia sortiuntur haud stupida obtusæ, verùm faceta, vrbana, festiua, pleraque ex auræ marinæ afflatu falsa & vitiosa quadam dicacitate contaminata. Zelandi præterea commestrationibus ac poculis aliquanto plus dediti sunt. Regionis autem huius insulas Orientales ab Occidentalibus discriminat Scaldis fluuius, quarū quæ ad Ortū spectant *Beoesterschelt* indigenis vocantur, quæ verò Austro ac Flandriæ obuertæ sunt *Beuwesterschelt*, quasi superiorè ac inferiorè, aut ceteriorè, atque vltiorè dicas, quarū alia cis Scaldā, alia trans Scaldam consistunt. Designatur autem his nominibus duæ insignes quæsturæ, quibus prætoria etiam dignitas ac dictaturæ potestas attributa est, sic vt harum Præfectis sit ius & fas tota pascim regione (præter ciuitatum municipia, quæ consulum tutelæ ac præsidio subsunt) regio dominatu facinorosos coercere: Vagos ac palantes corripere, nebulones ac mendicos validos, ficarios, oppressores, in vincula conijcere, ac tormentis exploratos in iudicio capitis arcessere, quò omnia pascim quieta sint ac pacata, & ne quis iter ingressus aliquid hostile metuat. Orientales itaque insulæ præcipuæ quidè tres sunt: quarum primæ Tolæ seu Toletæ nomen est, à vectigali seu portorijis nomen sortita, quem indigenæ *Tol* nominant. Hæc Brabantia contermina, exiguo tantum freto discreta est. huic coniunctus est agger Martianus, vulgò *Martins-dijk* principis Aursieasis municipium, locus amœnus atque arboribus vndique confitus, in quibus maxima alitum præsertim ardearū copia nidulatur. Huic ad Circium obuerta est altera, cui Duuelandia nomè est, à columbarum frequentia. Hæc oppidum habet nullum mœnibus cinctum, pagos autem ac nobilium dominia nonnulla complectitur. Huic rursus ad Fauonios obuertitur Scaldia seu *Scouwen* insula, nomine sumpto à Scaldi fluuiio, quo parte sua Austrina alluitur, cuiusque ibidem catarractæ sunt, quibus Oceano miscetur. Habet hæc in circuitu milliaria septè, olim multo maior extitit, at hodie maris sæuitia diminuta, hac quantitate contenta est: tamque olim propinqua fuit Nortbeuelandiæ insulæ, vt vtrinque in littoribus constituti colloquentes facillimè exaudiri ac percipi quirent, iam spatiofo mari diuelluntur, tantum huic decessit, cum altera salo penitus mergeretur. Continet hæc ciuitates duas conspicuas, quarū altera Brauwershauen, in insulæ parte septentrionali posita est, populosa ac piscatoribus prædiuitibus frequens: altera Zirizea in Austrina insulæ parte, huic propemodum opposita, quæ sola ferè ex omnibus Zelandiæ vrbibus aquæ dulcis puteos habet. Hi olim numerosa classe instructa, non solum onerarijs nauibus, sed rostratis, & quas Holcades nominant, præter Hispaniarum ac Mauritaniæ longinquas etiam, versus Septentrionem, oras frequentabant, Noruegiam, Daniam, Riualia, Rigam, Gedānum, Stochoniam Suetiæ, quæ nauigatio modò Amsterdamum translata est, ciuitate hac rebus omnibus ad commoditatem atque vsum vitæ necessarijs cumulatè fruente, ac non minus affluenter, quàm cum exteris nationibus esset celebris. Sunt & alia Orientalis huius partis insulæ, sed quæ propter exiguitatem vix nomen mereatur, cuiusmodi sunt Zipp, Philips-landt, Stauenisse &c. Quæsturæ verò Occidentalis quam *Beuwesterschelt* vocant, insulæ sunt, prima quidem ac omnium maxima Suytbeuelandia, sic dicta, quod ante aggeres extructos haud firma satis stabilisve, sed tremebunda videretur, cuius solum Austro oppositū, spaciocissimo amœnissimoque versus Flandriæ ac Brabantia oras tractu exporrecta, tametsi paucis ab hinc annis maximā iacturā passa, dimidio iam sit angustior. Ab hac auulsa est ciuitas non ignobilis Romerwalla, quam nullis excultam agris, nullis exornatā pomerijs Oceanus vndique alluit, ita vt vnica salis negotiatione subsistat. Alterum huius insulæ oppidum Borsele, eadem tempestate penitus oppressum, mari tegitur, quæ illuuijs Anno Christi 1532. Tertium est Goes, quod solum remansit integrum in Aquilonia parte insulæ sita. Scaldis fluuij ostio, cui *Scheng* nomen est, alluitur. Huic in Boream Nortbeuelandia apponitur, cuius oppidum est Cortkeene. Hæc pro-



ZELANDIA inferioris Germania pars magno circumdata Oceano plurimis insulis est determinata. Terra est uberi admodum gleba, populosa et ob portuum commoditatem navigatione celebris. Habet autem pre ceteris tres insulas insignes Calachiam Scaldiam et Swijdebelandiam, cuius non minimam partem nostra tempestate primum an. 1430 deinde et trigesimo secundo flante Corro vento magno impetu mare ruptis aggeribus occupavit. Sublata et tunc in unum atq; demersa est. Nort Beulandiam insula, cum pagis villis et oppido Cortina. In quibus omnes he insule partim aggeribus partim littoribus et collibus harenosis et domnes alie quoque que Oceano alluvitur. Quarum incalis continua veluti pugna et allectatio est, cum mari seuerle. Et enim pluralia loca conspuere licet iam aggeribus cincla, longez a maris estu et refluxu disjula, que olim mari fuerant contigua, ita etiam aliquando fore spes est, ut loca iam assulsa tandem aggeribus denuo cingantur, et quasi postlimino ab incalis reuerti centur. Notantur vero aggeres punctis veluti in lineolas partim per insulas deduci fas.